



Clypevs Theologiæ Thomisticæ

Continens Tractatus de Beatitudine, de Actibus humanis, eorumque Moralitate; de Virtutibus ac Donis, de Vitiis ac Peccatis, & de Legibus, nec-non Dissertationem Theologicam de Probabilitate

Gonet, Jean-Baptiste

Parisiis, 1669

Art. I. Vtrum animæ lustorum à corporibus separatæ, & plenè purgatæ, statim consequantur beatitudinem?

[urn:nbn:de:hbz:466:1-77355](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-77355)

ARTICVLVS PRIMVS.

*Verum anime Iustorum à corporibus separate,
& plenè purgate, statim consequantur
beatitudinem?*

1. **P**ARTEM negativam tenuere olim plures ex SS. Patribus, tam Græcis, quàm Latinis, existimantes animas iustorum à corporibus separate, ac plenè purgatas, non fore beatas, nec visuras divinam essentiam, usque ad diem iudicij, & generalis resurrectionis, in qua (aiebant) rursus unientur corporibus suis, & numerus electorum erit omnino completus. Ita D. Bernardus serm. 3. de omnibus Sanctis, ubi ait: *In illam beatissimam Dei domum anime nec sine nobis intrabunt, nec sine corporibus suis, scilicet nec sancti sine plebe, nec spiritus sine carne.* Cui sententia ita acriter adhæsit olim Joannes XXII. ut plures Ordinis nostri Doctores, qui zelò catholicæ veritatis firmiter ei se opponebant, in carceraverit, nominatim Patrem Thomam Valens, qui ipso festo S. Joannis Evangelistæ Avenioni prædicans, maximà Cardinalium & aliorum Prælatorum astante catervâ, contra hunc errorem vehementissimè invecus fuerat; usque verbò & exemplò Pauli, qui in faciem restitit Petro, eò quòd reprehensibilis esset, nec non maledictionem omnibus, qui huic perverfo dogmati adhærent, pronuntians, addiderat hæc verba Apostoli: *Si quis vobis annuntiaverit præter id quod accepistis, anathema sit.* Quæ cum rescivisset Ludovicus Bavarus, qui se Imperatorem dicebat, quique extremò odii Pontificem & Dominicanos ei summopere ad dictos prosequeretur, animum infensum, quem erga Patres nostros gerebat, deponens, & illum zelum pro veritate tuenda demiratus, exclamavit: *Nunc comperio quod Ordo Prædicatorum sit ordo veritatis: siquidem Joannem errantem dereliquit, quem antea non errantem contra me tam animosè defendit.* Ita referunt Antonius Senensis in Chronicis FF. Prædicatorum ad annum 1331. Bzovius ad eundem annum, & alij quos illi citant.

S. I.

Conclusio affirmativa statuitur.

- D**ico igitur, Animas iustorum, à peccatis perfectè purgatas, in cælum evolare, & fieri clarà Dei visione, non expectatà resurrectione, aut generali iudicio.
2. Hæc conclusio nunc est certa de fide, utpote definita in Florentino sess. ultimâ, ubi dicitur, *E Animas à corporibus exutas & purgatas in cælum mox recipi, & intueri ipsum Deum Unum & Trinum sicuti est.* Eandem veritatem prius definita in Benedictus XII. in quadam Extravaganti quæ incipit, *Benedictus Deus*, ut refertur in Directorio Inquisitorum parte 2.
3. Colligitur etiam ex Scriptura: nam ad Philip. 1. Apostolus ait: *Desiderium, habens dissolvi & esse cum Christo*: inutile autem esset tale desiderium, si non fuisset visurus Deum statim post mortem. Item 2. ad Corinth. 5. dicitur: *Quando sumus in corpore, peregrinamur à Domino: per fidem enim ambulamus, & non per speciem: Ergo relicto corpore non ambulabimus per fi-*

dem, sed per speciem, videndo clarè divinam essentiam. Unde Apocal. 7. videntur Iusti amicti stolis albis: quod præmium illorum denotat. Et Luca 23. Christus dixit ad latronem: *Hodie mecum eris in paradiso*: quod non potest intelligi de paradiso terrestri, ut quidam explicant; cum Christus eà die in paradiso terrestri non fuerit, sed in limbo, qui paradisos dicitur; quia ibi latroni & SS. Patribus communicata fuit beatitudo, & visio divinæ essentia: nam ut ait Augustinus Epist. 57. *Generale paradisi nomen est, ubi feliciter vivitur.*

Favent etiam SS. Patres: nam D. Gregorius super Psal. 4. penitentialem, ait: *Beatitudo & animabus Sanctorum ante resurrectionem tribuitur, & corporibus nihilominus post iudicium*; & id probat latè 14. dialog. cap. 25. Item D. Chrysostomus hom. 32. in Epist. ad Rom. dicit: *Pauli animas versari in summo cælo, & prope Regis solium, ubi Cherubim & Seraphim volitant.* Fulgentius serm. de S. Stephano: *Hodie (inquit) miles de tabernaculo corporis exiens, triumphanter migravit ad cælum.* Item: *Stephanus hodie solâ est immortalitatis indutus.* Unde Ecclesia diem mortis Sanctorum appellat natalem ipsorum: quia nimirum quemadmodum per nativitatem corporalem nascuntur mundo, ita per transitum ex mundo nascuntur cælo. *Natalem Sanctorum* (inquit Chrysologus) *cum audis, nolite putare illum dici quò nascuntur in terram de carne, sed de terra in cælum, de labore ad requiem, de cruciatibus ad delicias, non fluxas, sed fortes, & stabiles, & æternas.* Et Emissenus homil. de natali S. Genesij: *Beatorum Martyrum passiones, natales vocamus dies, quando eos martyri, vita & gloriæ fides, dum ingerit morti, genuit æternitatis, & perpetua gaudia brevi dolore parturit. Merito planè dicendi natales dies, per quos qui nati fuerant in hanc fragilitatis humana miseriam, subito nascuntur in gloriam, vite perennis iniiium de mortis sine sumentes. Etenim si istos dies natales vocamus, quibus in hanc lucem in delictis & doloribus nascimur ad dolores, quibus hunc mundum fleru infantie vagientes ingredimur; iustius isti celebrantur natales, quibus Sancti ex corruptibili in novam istam futuri seculi veniunt claritatem, & filij hominum in adoptionem divinæ paternitatis ascendunt; & consortes paulò ante mortalium, subito civis incipiunt esse Angelorum.*

Variis etiam rationibus seu congruentiis probant aliqui nostram conclusionem: putà quia beatitudo, seu clara Dei visio, cum non fiat per aliquam speciem à phantasmatibus eductam, non dependet à corpore; unde non est ratio cur differatur usque ad reasumptionem corporum; maximè quia ea dilatio præmij valde esset afflictura animas purgatas. Addunt quod, cum beatitudo debeat homini ut corona & merces, statim post finitam pugnam, & laborem expletum dari debet, juxta illud Levitici 19. *Non morabitur opus mercenarij tui apud te usque ad mane.* Confirmant exemplò Angelorum, qui finitâ viâ statim acceperunt præmij; & malorum hominum, quibus statim datur pœna æterna post mortem: Deus autem pronior est, inquit, ad miserendum & præmiandum, quàm ad puniendum.

Verùm hæc rationes parùm urgent. Ad primam enim facillè responderi posset, eam dilationem non fieri ob repugnantiam visionis cum

anima separata; sed quia ante iudicium generale, & generale omnium remunerationem, non oportet aliquos beatificari: vel certe quia Deus ipse ita voluit ac disposuit, propter occultos fines suae providentiae. Aliæ verò patiuntur instantiam in animabus iustorum, qui ante adventum Christi decesserunt: ille enim, quamvis perfectè purgata, statim post separationem à corpore non viderunt divinam essentiam; imò per multa sæcula earum beatitudo & merces fuit dilata, cælo adhuc clausò, ob culpam originalem.

7. Quare existimo aliam huius rei, utpote à sola Dei voluntate pendens, non debere assignari rationem, quàm eam quam tradit D. Thomas 3. B. p. qu. 49. art. 5. ad 4. ubi ait, quòd *Christus sua passione meruit nobis introitum regni cælestis, & impedimentum removit; sed per suam ascensionem nos quasi in possessionem regni cælestis introduxit. Et ideo dicitur quòd ascendit pandens iter ante eos.* Unde licet ante passionem Christi, ejusque in cælum ascensionem, nullus quantumcumque iustus regnum cæleste intrare posset: attamen in lege gratiæ animæ iustorum, cum primùm sunt perfectè purgata, statim consequuntur beatitudinem, post decessum à corpore. Et hoc (inquit S. Doctor ibidem) *figuratur Numer. 35. ubi dicitur quòd homicida manebit ibi (scilicet in civitate refugij) donec sacerdos magnus, qui oleo sancto unctus est, moriatur. quo morituro, poterit in domum suam redire.* Quare Apostolus ad Hebræos 9. postquam dixit, quòd olim in sancta sanctorum non poterant ingredi sacerdotes, nec populus, subdit: *Hoc significante Spiritu Sancto, nondum propalatum esse sanctorum viam. adhuc priorum tabernaculo habente statum: id est, per hoc Spiritus Sanctus declarare intendebat, toto tempore veteris testamenti non fuisse apertam viam ad cælum; ideoque etiam iustissimos quosque ad inferos descendisse. At postquam Christus prorupit velum templi, cessaveruntque figuræ, ex tunc patet via Sanctorum ad cæleste tabernaculum, & cælorum janua per passionem Christi nobis aperta est.* Unde Leo Papa serm. 1. de ascensione: *Christi ascensio (inquit) nostra proventio est, & quò præcessit gloria capitis, eo spes vocatur & corporis: hodie enim non solum paradisi possessores firmati sumus, sed etiam cælorum in Christo superna penetravimus; ampliora adepti per ineffabilem Christi gratiam, quam per diaboli amiseramus invidiam.* Item D. Ioannes Apocal. 21. dicit cælestem Ierusalem habere portas duodecim, & subdit: *Ab Oriente porta tres, & ab Aquilone porta tres, & ab Austro porta tres, & ab Occasu porta tres:* per hoc innuens, modò post Christi passionem & ascensionem, undequaque patere aditum in cælum, omneque impedimentum penitus esse sublatum; ac proinde iustorum animas, cum primùm à peccatis perfectè purgatae sunt, consequi beatitudinem, & clarà Dei visione perfriui, non expectatà resurrectione vel die iudicij.

S. II.

Solvuntur objectiones.

8. **C**ONTRA hanc conclusionem primò obijci possunt plura Scripturæ testimonia, quibus significari videtur, præmium beatitudinis, & visionem Dei reservari in diem iudicij. Matthæi namque 20. dicitur omnibus simul operariis redditam fuisse mercedem, cum serò factum

A *esset. hoc est in fine mundi.* Et cap. 25. cum describitur iudicium univertale, dicitur: *Ibunt hi in supplicium æternum, iusti autem in vitam æternam.* Paulus etiam 2. ad Timoth. 4. ait: *Reposita est mihi corona justitiæ, quam reddet mihi Dominus in illa die, extremi scilicet iudicij.* Et ad Hebræos 11. inquit de Sanctis: *Non acceperunt repromissionem, Deo pro nobis melius aliquid providente, ut non sine nobis consummarentur.* Item 1. Ioan. 3. dicitur: *Cum apparuerit (nempe Christus in die iudicij) similes ei erimus: quoniam videbimus eum sicuti est.* Denique Apocal. 6. dicit idem Apostolus: *Vidi subtus altare animas interfectorum propter verbum Dei: & dictum est illis, ut requiescerent adhuc tempus modicum, donec compleantur conservi eorum: id est, ut expectent tempus resurrectionis, & generalis iudicij, in quo, completo numero electorum, omnes simul recipient mercedem & beatitudinem.*

Veruntamen hæc parùm urgent: nam quoad 9. tria prima loca, si intelligantur de die iudicij generalis, dicendum est, tunc præmium meritum cum publico honore, ac solemni pompa, & manifestatione omnium bonorum operum, iustis esse conferendum; vel tunc novà & publicà sententiâ, non solum animæ, sed etiam toti homini reddendum esse. Dixi, si intelligantur de die iudicij generalis: quia in primo loco *ly ad vesperam* denotat finem vitæ cujuslibet, ut ait Glossa interlinearis. Item cum Apostolus ait, quòd Deus iustus iudex reddet ipsi coronam justitiæ *in illa die*, loquitur (ut ait Nicolaus de Lyra) de die mortis, de quo præmiserat: *Tempus resolutionis meæ instat.* Quartus locus facilis est: nam vel loquitur Apostolus de præmio completo per resurrectionem; vel intendit Sanctos veteris Testamenti non intrasse cælum sine Sanctis Legis Evangelicæ, non quidem omnibus, sed aliquibus, Testimonium verò primum ex Joanne planè caret difficultate: nam *ly cum apparuerit*, non significat, cum Christus venerit ad iudicandum (neque enim visio humanitatis Christi Domini reddet Sanctos beatos) sed intelligitur de Deo secundùm se, ut sit sensus: *quando se nobis per visionem ostenderit.* Quòd si aliquis hæc verba ad Christum in secundo adventu referat, Glossa interlinearis ait, tunc nos futuros ei similes, id est *secundùm corpus immortales*; quia videbimus eum sicuti est: nam ex gloria animæ redundabit gloria & immortalitas in corpus. Ultimus locus qui est ex Apocalypsi, communiter explicatur de desiderio unionis ad corpus, quod habent animæ Sanctorum: illud enim non complebitur, nisi in die resurrectionis generalis, in qua totus homo beatificabitur. Porro ipsas gloriâ essentiali frui in cælis ante illud tempus, colligitur ex eo quod ibidem dicitur: *Data sunt illis singule stolæ albe:* nam ut explicant Sancti Patres, per stolam illam intelligitur gloria & beatitudo essentialis.

10. Secundò obijci possunt plura SS. Patrum testimonia, in quibus apertè dicitur Sanctorum beatitudinem usque ad tempus resurrectionis esse differendam.

Verùm, vel hæc explicari possunt de adæquata beatitudine corporis & animæ; vel dici aliquos ex SS. Patribus id olim docuisse, quia tunc res erat dubia, & nondum ab Ecclesiâ definita; nunc verò non licere de hoc dubitare, ob definitiones Concilij Florentini, & Benedicti XII. suprâ adductas.

Tertiò obijciunt aliqui Decretum Joannis A XXII. qui, teste Ocham in opere sex dierum, & Gersoni in ferm. de Paschate, dicitur definiti- se contrarium.

Sed respondetur, verum quidem esse, illum fuisse valde propensum in hanc sententiam, eamque persuadere statuisse: non tamen ut Pontificem definitivè, sed, ut ait Benedictus XII. in sua Extravaganti, speciali Dei providentiâ raptum fuisse, antequam aliquid definiret. Nec credendum est Ochamo, quippe qui Joanni XXII. fuit infensissimus, utpote ab eo excommunicatus.

ARTICVLVS II.

Utrum beatitudo semel adepta possit amitti?

II. **F**ERTVR communiter error Origenis, negantis perpetuitatem beatitudinis, & ponentis perpetuam vicissitudinem felicitatis & miseriar: licet aliqui eum excusare nitantur, dicentes hunc errorem inter opera Origenis ab hæreticis fuisse insertum; sed immeritò, quia tum D. Thomas hîc art. 2. & 3. contra gent. cap. 62. tum etiam D. Augustinus libro 21. de civit. cap. 17. & libro de hæresibus hæresi 43. & D. Hieronymus in Epistola ad Avitum, imò & sexta Synodus generalis actione 11. in Epistola Sophronij, approbatâ actione 13. hunc errorem Origeni tribuunt.

Porro contra illum militant plura Scripturæ testimonia, quibus asseritur beatitudinem Sanctorum perpetuò duraturam, præsertim illud Matth. 25. quod adducit S. Thomas: *Ibunt hi in supplicium æternum, iusti autem in vitam æternam.* Et Joan. 22. Christus dicebat Apostolis: *Gaudium vestrum nemo tollet à vobis.* Item 1. Petri 2. beatitudo vocatur hæreditas *incorruptibilis, incontaminata, & immarcescibilis.* Et cap. 5. *immarcescibilis gloriæ corona.* Denique in Fidei symbolo promittitur nos expectare vitam æternam.

12. De fide ergo certum est, beatitudinem Sanctorum fore perpetuam & nunquam desituram. Sed dubitant ac disputant Theologi, an hoc ei conveniat ab intrinseco, & ex natura rei, vel solùm ab extrinseco, & ex gratuita voluntate Dei, eam perpetuò conservantis? Scotus enim & Durandus in 4. dist. 49. qu. 6. docent illam solâ Dei voluntate, & non ab intrinseco esse perpetuam. Idem videtur sentire Vazquez hîc disput. 21. cap. 2. ubi ait eodem modo philosophandum esse de visione beatifica & lumine gloriæ, sicut de Angelis: unde sicut Angeli, in ejus sententia, non sunt in incorruptibiles ex natura sua, sed solùm ab extrinseca Dei providentiâ illos conservante; ita & lumen gloriæ, ac visio beatifica. Alij dicunt beatitudinem posse dupliciter considerari, scilicet in ratione beatitudinis, & boni perfecti ac plenè satiati, & in ratione visionis & operationis: & primo modo esse ab intrinseco inamissibilem & incorruptibilem, non autem secundo modo. Ita Curiel hîc art. 4. dubio unico. Thomistæ verò asserunt perpetuam esse ab intrinseco convenire beatitudini, tam ut est visio Dei, quàm ut est perfectâ beatitudo: sic Cajetanus, Conradus, Martinez, Alvarez, Suarez, & alij.

S. I.

Conclusio affirmativa statuitur.

DICO igitur: Visionem beatam, tam ut beatitudo, quàm ut visio est, ab intrinseco esse incorruptibilem. Ita D. Thomas hîc art. 4. ubi docet beatitudinem perfectam, quæ expectatur post hanc vitam, & ex ipsa communi ratione beatitudinis, & ex ratione beatitudinis in speciali, quæ in clara Dei visione consistit, habere quod non possit deficere: unde in resp. ad 1. ait per hanc beatitudinem elevari hominem ad participationem æternitatis, transcendens omnem mutationem; & 1. p. qu. 10. art. 3. inter entia naturâ suâ immutabilia & æterna ponit visionem Dei, quam dicit propterea vocari in Scriptura vitam æternam; & art. 5. ad 1. asserit illam visionem non mensurari tempore, vel ævo, sed æternitate participatâ: idem habet in 2. dist. 2. quæst. 1. art. 1. ad 4. & tertio contra gentes cap. 62.

14. Probat ergo prima pars conclusionis primâ ratione D. Thomæ hîc art. 4. Beatitudo, cum sit bonum sufficiens & perfectum, ab intrinseco & ex propria ratione habet quoddam desiderium hominis quietet, & omne malum excludat; Sed neutrum præstaret, si non esset ab intrinseco inamissibilis & incorruptibilis: Ergo inamissibilitas & incorruptibilitas ab intrinseco illi convenit. Major patet, Minor quoad utramque partem suadet. Nam unus ex præcipuis quæ optat beatus, est perpetuitas boni quod possidet; unde maximè anxietetur, si existimaret tale bonum non fore perpetuum: Ergo si beatitudo non esset perpetua & incorruptibilis ab intrinseco, nec perfectè satiaret hominis appetitum, nec omnem miseriam & anxietatem excluderet. Unde Augustinus: *Nulla modo esse poterit vita veraciter beata, nisi fuerit sempiterna.*

15. Dices, sufficere ad hoc ut beatus quietetur, & omnis anxietas ab eo tollatur, quod Deus decreverit illi beatitudinem perpetuò conservare, & hoc illi innotescat.

Verùm hæc solutio ex non penetrata rationis efficacia procedit: unde sic eam explico, & datam solutionem evertò. De ratione formæ in qua beatitudo essentialiter consistit, est quoddam vel ratione sui, vel ratione eorum quæ illi debentur, satiet appetitum beati, & omnem miseriam & anxietatem excludat, ut disp. 3. art. 1. fusè ostendimus: Atqui perpetuitas seu inamissibilitas beatitudinis exigitur ad tollendam anxietatem beati, & illius appetitum quietandum: Ergo illa debita est formali beatitudini, eique ab intrinseco (id est vel ratione sui, vel ratione eorum quæ illi debentur) & non solùm ab extrinseco, & ex gratuita Dei voluntate, debet competere.

16. Secunda pars conclusionis, quæ asserit quoddam clara Dei visio, non solùm in ratione beatitudinis, sed etiam in ratione visionis Dei, est incorruptibilis ab intrinseco, secunda ratione Divi Thomæ suadet. Visio Dei, neque ex voluntate ipsius videntis, neque ex voluntate Dei, neque ex aliquo extrinseco impediendè cessare potest: Ergo ex propria ratione habet, quod sit perpetua & duret in æternum, subindeque quod ab intrinseco sit inamissibilis & incorruptibilis. Consequentia patet à sufficienti enumeratione: nihil enim aliud assignari potest, ex quo visio Dei possit cessare. Antecedens verò probatur, quan-